

DISPUTATIONUM JURIDICARUM,
QUADRAGESIMA & QUARTA,
quæ est,

F U R T O
^{D E}

Ad libr. 4. Inst. tit. 1.

Quam,
DEO T. O. M. assistente

P R A E S I D E


Nobilissimo, Clarissimo, Consultissimog,
V I R O,

DN. CAROLO JOHANNE WORT-
M A N N , J. U. D. Sereniss. ac potentiss.
Elect. Brandenbr. Prætore in Unna, nec non Illustris
Athenei, quod Hammonæ est, Profess. Publ. ordinar.
Dom, Fautore ac Præceptor suo solertiſſ. jugiter
colendo, honorando,

Publicè ventilandam suscipit
JOHANNES BERNHARDUS SCHEVEL,
Freckenhorstensis, LL. St.


Ad diem 25. Augusti, horis locoque consuetis.

HAMMONÆ,
Typis BERNHARDI WOLPHARDT,
ANNO cle XCIV.



D E O,
P A T R I A E,

A M I C I S,
I N V I D I A E.



DISPUTATIONUM JURIDICARUM,
QUADRAGESIMA & QUARTA,

qua est,

de
F U R T O

Ad libr. 4. Inst. tit. I.

Thesis I.



Uæ de obligationibus ex con- Connex-
tractu vel quasi descendantibus di- io.
cenda nobis videbantur , diversis
ad lib. 3. Inst. dissertationibus jam
supra exposuimus : restant obliga-
tiones ex delictis descendentes; de
quibus Imperat. hoc libr. 4. passim.

II. Et quidem delictum in genere est omne Descri-
factum illicitum contra leges reipublica admissum. pto.

A

III.

Divisio-
ne.

III. Estque vel publicum, vel, privatum: illud per quod status reipublicæ principaliter læditur, & quod inde peculiaribus legibus, ut L. Juliæ adulterium, aut L. Cornelij homicidia certis poenam vindicat, eorumq; executionem olim cuivis de populo dedit. § 2. Inst. de publ. jud. sed de his infra. Privatum verò delictum est, quo privatus aliquis potissimum læditur, & in quo privatus læsus cœliliter ac privatim prout cuiusq; interest, ordinariâ ad id actione institutâ agit. Atque hoc irenum vel verum est vel quasi tale: illud vero dolo interveniente perpetratur & ex re nascitur: excepto damno injuriâ dato, ex quo ob culpam etiam levissimam quis tenetur: suntq; talia, furtum, rapina, damnum & injuria. Hoc autem nonnisi culpa aliquâ vel ex proprio vel ex alieno facto imputata perpetratur: eòq; pertinet, si judex litem suam faciat & similia: de quibus infra ad tit. s. hujus libr. 4. Dicitur, ex re nascitur: quâ tamen phrasî non volumus consensum his in negotiis excludi: eo enim ipso quo quis delinquit, in poenam etiam consentit, eò quod delinquens delicto perpetrato se poenam delicto congruam incurri ipsius sciati: par modo quo mutuum re etiam contrahi dicitur. pr. 1. quib. mod. re conte. oblig. consensu tamen non excluso: quinimò si ex sola re delicti obligatio oriatur consensu excluso, furiosus etiam inde obligari dici posset, ut non dicam hoc etiam modo bestias ratione omni & consensu destitutas deli-

quis

quisse dici posse: quod absurdo magis foret absurdum.

IV. Furtum itaq;, ut hinc cum Imperatore Prima erdiatur, est delictum privarum, quo quis lucri faciendi gratiâ rem propter rei usum, ejusve possessionem privat. fraudulosè & illicite contrectat. arg. §. 1. b. 1. Dicitur, lucrandi gratiâ: quæ verba superflua non sunt, scribitur. ut quidam auctoritate Theophili moti statuunt, sed formam sive differentiam quandam specificam à causa finali desumptam continent: potest enim quis fraudulenter rem contrectare, sed non ut inde lucrum sentiat, verum alias damnum det, vel animi libidinem expleat. Dicitur, contrectat: quæ vox. 1. factum aliquod corporale & in specie tam propriè concernit; adeò, ut simplex animus & consultatio furandi contrectatione ipsâ adhuc aondum subsecutâ neminem furti reum faciat. 2. Denotat factum tale, quod cum motione quadam conjunctum est. 1. 3. §. sed si rem. ff. de a. vel am. possess. quam tamen motionem non ita crassè & naturaliter, sed juridicè hîc accipimus, ita ut non tantum translationem rei ex potestate & possessione alterius, sed etiam usurpationem rei ipsius intelligamus.

V. Species furti olim quatuor erant, conceptum, oblatum, prohibitum, non exhibitum, nes. de quibus Imperat. §. 4. 1. b. 1. jure novo duo tangentia genera Imperator constituit, manifestum scilicet furtum & non manifestum: illud. 1. quoties fur-

A 2

in

in ipso furandi actu deprehensus. 2. quando furtum commisso in loco furti perpetrati deprehenditur. 3. si deprehenditur antequam rem ablatam ad locum destinatum pertulerit. 4. si quis furem videbit cum re furtiva & acclamaverit. l. 7. §. 2. de furt. Non manifestum verò contrà se habet. Porro hodiè furtum in simplex & non simplex dividì solet: illud, quod absque effractione, hoc verò quod cum effractione committitur. vid. ordin. Cares. art. 159. & seq. Deniq; est & alia furti divisio, quā in diurnum & nocturnum illud dividit in l. 54 §. 2. ff. b. t. ejusq; etiam mentio fit. in d. ordin. crimi. art. 159.

Personae
delinquen-
tes

VI. Committunt furtum quotquot dolí capaces, ac ratione destituti non sunt. l. 23. ff. b. t.

VII. Objectum furti sunt. 1. res corporal. s: uti enim incorporealium nulla propriè est conrectatio, ita neq; furtum-propriè dictum. l. 75. ff. b. t. 2. res aliena. §. 6. 1. b. t. 3. tam animata quam inanimata. l. 14. §. 5. 7. 11. & 13. ff. 4. tam pretiosæ quam minima: neq; enim rei hīc aut aestimationis, sed atrocitatis facti ratio habetur. vid. §. 35. l. de R. D. l. 14. §. fin. ff. b. t. & simul. utut enim minima prætor non curate dicatur: id tamen eo sensu intelligendum, si non majori rei exinde præjudicium fiat. vid l. 22. ff. de damn. inf. E' contrario verò non ita furtum committitur.. 1. in rebus incorporalibus, ob rationem supra allatam: unde patet verba illa in definitione furti de usu aut possessione rei

met

non respectu objecti, ut ita loquamur, quasi nimirum ipsius usus possessionisve tanquam rei incorporalis furtum fiat; sed respectu cause finali, velut quod res auferatur vel propter usum, ut in §. o... l. vel propter solam possessionem. vid. l. 35. §. 1. ff. de pign. act. intelligenda esse 2. Rei quoque Propria furtum fieri non potest, per. §. 6. 1. b. t. quod quidem Imperator ipse in §. 10. b. t. limitare videtur: sed minus recte cum enim per jus pignoris alii constitutum vero rei domino rei dominium non intervertatur, non etiam rei propriæ furtum ita commissum dici poterit: quid ergo? qd. puto Imperatorem in d. §. metonymice locutum esse aut impropriè. 3. Frutum etiam non committitur in re commodata si commodans eam surripuerit & commodatarii nihil interfici. l. 15. §. 2. l. 5. 9. b. t.

VIII. Formale autem furti in eo consistit, ut. res animo ac affectu furandi §. 6. 1. b. t. conrectetur: eò quod furtum sine affectu furandi non committatur, neq; tam factum hīc quam faciendi causa attendatur. l. 39 ff. b. t. 2. ut id fiat clam ac invito domino: atq; eo modo furtum à rapina potissimum differt, utpote quæ non clam aut occultè sed aperite per vim ac armæ fieri solet. pr. l. de vi. bon. rept. Dicitur, invito domino: si enim quis crediderit se domino invito item conrectare, & tamen id domino fiat volente, furtum fieri non dicitur in §. 8. quod tamen cum grano salis ut ajunt ita intelligendum: utut enim respectu animi ac affectus furtum

Formæ.

dici omnino posset, intuitu tamen effectus i. e; lassionis, quæ domini consensu verè ac serio interveniente nulla est, furtum non esse dicit Imperat: neque enim verecundè agere vel persecui pœnam videtur ejus, quod se grato & volente factum est. arg. l. o. §. 9. in fin. qua in fraud. cred. Dicitur, consensu serio interveniente: nam si tale quid per simulationem factum foret, aliud omnino dicendum: veluti, si quis servum alienum solicitaverit, ut res domino suo suriperet & ad se deferret, servusq; id domino indicaverit, ac is servum res tales ad solicitatorem deferre passus esset, quò magis is convinci posset, non furti solùm sed & servi corrupti actio datur: ne ex hujusmodi impunitate & in alium servum, qui facilè corrumpi posset, tale facinus ab aliis perpetretur. d. §. 8.

IX. Finis furti est spes lucri: neq; enim sine ejusmodi intentione furtum committitur. §. 1. l. b. 1. unde si alio quis sine, v. c. injuriæ inferendæ, ut in l. 53. pr. ff. b. 1. vel libidinis causâ, ut in l. 39. ff. cod. rem vel ancillam furipiat furtum non committit. Quid ergo, si tempore necessitatis furtum sit commissum, eritne id etiam furtum propriè dictum? Bz. negant id plerique cò quòd hoc casu finis ille furti, lucri scil. ratio deficiat, cum potius ad vitæ sustentationem id fiat, tūm quòd is ejusmodi in casu necessitatis constitutus id lege & jure facere videatur, cum necessitati lex nulla sit posita, adde & quod necessitatis tempore omnia com-

finis.

communia esse videantur, adeoq; non ut rem alienam sed ut propriam contrectasse dici posset. Vixum his non attentis, omnino furtum committi dicendum est: tūm quod & hīc animus furandi adeoq; & lucri ratio subsit, tūm etiam quod tali in casu non adsit simplex & inevitabilis necessitas: mendicare enim quām furari satus est; quanquām tamen id dubio careat, furtum tale mitiori quām alia pœna puniri, neq; à restitutione rei ablatæ si ad pinguiorem fortunam revertantur, liberari.

X. Effectus furti consistit in actionibus inde Effectus competentibus: que in duplice differentia sunt: aut enim rei persecutorie sunt aut pœnales: prioru genitivu sunt rei vindicatio & condicō furitiva. Illa domino rei furtivæ adversus furem & quemvis alium rem furtivam possidentem datur: est enim actio in rem, quæ semper adversus cum est, qui rem possidet. l. 25. ff. de o. &c. Atque hīc vulgo controvetti solet, an res furtiva ab eo qui, qui furtivam eam esse ignorans emit ita iterum vindicari possit, ut vindicans ne quidem pretium refundere teneantur? Bz. id affirmandum per. l. 2. C. de furt. l. 23. C. de R. V. art. 213. Conf. Carol. quod tamen limitant Dd, 1. si in res furti emitor sumptus impendit. d. ordin. crimin. art: 213. vigore cuius sumptus illi restituendi non pretium. 2. si emitor tempore venditionis coram testibus vel in instrumento protestatus fuerit se rem eā mente cōmpatare, ut prelio eodem restituto eam vero rei domino reddat:

cō

et quod tune absentis potius negocium gerisse quam rem furtivam emissi censeatur. Altera, quae huc pertinet, *actio, condicō furtiva* est, uti supradicere antevertimus; *qua domino ejusque heredi contra furem ejusq. heredem sive possideat sive non in solidum datur.* Dicitur, *contra furem.* Quid ergo si plures sint fures? scilicet contra singulos in solidum datur, sed unius tamen præstatione cæteri liberantur. *l. 1. c. b. t.* Dicitur, *sive possideat, sive non:* atque eo modo differt hæc actio à rei vindicatione; utpote quæ contra quemlibet quidem datur, modò tamen possideat, hæc autem actio non contra quemlibet datur sed tantum contra ipsum furem & ejus heredem sive possideat sive non: cuius quidem hæc interna differentia ratio est; quod rei vindicatio actio in ream sit, condicō verò, actio in personam. Dicitur, *in solidum:* scilicet, post litem contestatam in solidum in heredes datur: et quod per litis contestationem novatio quedam inducatur atque obligatio perpetuetur. Illud verò hæc vulgo etiam controverti solet, annon etiam contra illum, cuius ope furtum factum est, condicō hæc detur? scilicet affirmari si is factus suus ac ministerio ad rei subtractionem concurrisse probari possit. *vid. l. 50. S. pen. ff. de furt.* Quid si consilium tantum quis dederit? scilicet non tenetur; et quod ipse furtum non fecerit. *Tantum de actionibus rei persecutorijs.*

XI. Sequuntur actiones pœnales, quæ vel civiles sunt vel criminales, illæ ad privatam, haec ad publicam vindictam tendentes: & quidem actiones civiles sunt vel furti manifesti ad quadruplum vel non manifesti ad duplum: easque furti actiones Imperator concedit omnibus illis, quorum interest rem sublatam non esse. *§. 13. b. t.* Dicitur, *quorum interest:* quod tamen intelligendum. 1. de eo quod ex causa honesta interest. *l. 11. l. 12. S. 1. ff.* 2. de eo, quod vel ratione possessionis, vel ratione alius juris realis competit. 3. ut interficit ejus, qui damnum passurus, non ejus qui lucrum factus est. *l. 11. S. 1. ff.* *Actio* verò *criminalis* j. civili ad pœnam arbitriariam seu extraordinariam tendit, *l. 1. ff. b. t.* eaque regulariter pecuniaria non autem j. nostro capitalis est. *nov. 130. c. f. vers. pro furt. & auff. sed novo. C. de serv. fugit.* Planè moribùs hodiernis accusatio criminalis, si furtum quinque solidorum estimationem supereret vel tertiam vice iteratum sit ad suspendii pœnam tendit. *vid. ordin. crimin. art. 157.* An autem pœna hæc æquitati ac juri per omnia consentanea sit, non una omnium opinio est: sunt enim, qui pœnam hanc duram nimis & proportionem pœnæ ad delictum longè excedentem in totum damnant, negantque justitiae, uti ajunt, attributricis rationem pati, ut morte puniatur, qui in rebus tantum externis alii nocuit, maximè cum lex divina Hebreis per Mosem lata, non majori quam pecuniaria pœnâ fures plesti jubeat. *exod. c. 22.* Verum his non obstantibus contrarium ve- lius esse putamus: neque enim proportio, quæ cul-

publicam vindictam tendentes: & quidem actiones civiles sunt vel furti manifesti ad quadruplum vel non manifesti ad duplum: easque furti actiones Imperator concedit omnibus illis, quorum interest rem sublatam non esse. *§. 13. b. t.* Dicitur, *quorum interest:* quod tamen intelligendum. 1. de eo quod ex causa honesta interest. *l. 11. l. 12. S. 1. ff.* 2. de eo, quod vel ratione possessionis, vel ratione alius juris realis competit. 3. ut interficit ejus, qui damnum passurus, non ejus qui lucrum factus est. *l. 11. S. 1. ff.* *Actio* verò *criminalis* j. civili ad pœnam arbitriariam seu extraordinariam tendit, *l. 1. ff. b. t.* eaque regulariter pecuniaria non autem j. nostro capitalis est. *nov. 130. c. f. vers. pro furt. & auff. sed novo. C. de serv. fugit.* Planè moribùs hodiernis accusatio criminalis, si furtum quinque solidorum estimationem supereret vel tertiam vice iteratum sit ad suspendii pœnam tendit. *vid. ordin. crimin. art. 157.* An autem pœna hæc æquitati ac juri per omnia consentanea sit, non una omnium opinio est: sunt enim, qui pœnam hanc duram nimis & proportionem pœnæ ad delictum longè excedentem in totum damnant, negantque justitiae, uti ajunt, attributricis rationem pati, ut morte puniatur, qui in rebus tantum externis alii nocuit, maximè cum lex divina Hebreis per Mosem lata, non majori quam pecuniaria pœnâ fures plesti jubeat. *exod. c. 22.* Verum his non obstantibus contrarium ve- lius esse putamus: neque enim proportio, quæ cul-

pam inter & poenam esse debet, id exigit, ut materia
poenæ ex amissim respondeat materiae culpæ, i. e. ut
bonum quo poena privat, neutiquam excedat bonum
illud quo delinquens proximum suum priva-
vit, quin potius id ex fine, publico scilicet bono &
transgressione legis atq; inobedientia estimandum:
accedit, quod nos mutato jam rerum pu-
blicarum statu politicis Legibus Mosaicis non
quoad gradus penarum observandos teneamus:
satis enim est, si leges nostræ ad hanc regulam con-
gruant, ut maleficia puniantur, gradus autem
penarum legum conditoribus permittendi sunt.
Quid autem, si fur rupio laquo in terram vivus de-
cidat, eritne adhuc strangalandus? & omnino: non-
dum enim sententia executionem suam habet. vid.
art. 162. *Conf. crimin. in verb.* Mit dem Strang
vom Leben zum Todt: quod tamen limitant Dd.
nisi forte singulari aliquo fato tale quid contingat.
Quid ergo si puella damnatum ad supplicium in
matrimonium petat, et itne liberandus? &. negar-
do: neque enim conjux intercessione suâ conjugem
à supplicio capitinis liberare potest; multò minus
ergo puella aut impudens scortum porcaci cali
petitione id efficiet: certè illa non tam faceta
quam injuriosa potius in matrimonium à Deo
sancitum ratio est, quod uxorem ducere
æqualis incerti poena
cepuretur.

Co-

Corollaria.

I.

*Instrumenta dotalia non sunt de essentia Legi-
timationis.*

2. *Tutor ob culpam remotus non fit in-
famis.*

3. *Ob supervenientiam liberorum patro-
ni & cuiuslibet donatoris recte revocatur dona-
tio inter vivos.*

4. *Donatio mortis causa ob clausulam de
non revocanda adiectam degenerat in donatio-
nem inter vivos.*

5. *Emphyteusis primâ sui origine est juris
gentium non civilis.*

6. *Hæc verba §. 3. di. Institutionum. T.
de act. sane uno casu sunt legenda prout ja-
cent, nec casus iste in sylva Bohemica sed in
digestis situs est.*

Deline sacra Themis partem Lugere Thesauri
Ad tibi non notas casu abiisse manus
Auctor adest causamq; suam cum Laude tueretur
Schevel, & illam te jubet eccl. Dean,

Plu-

plurane vis! cavo quod fors cum fœnore justo
Mutua ad indemnes sit redditura manus.

*Hic Commensali & Contubernali suo
applaudere voluit*

PETRUS FLORENTIUS REINKING,
Ritbergensis LL. St.

Jurisconsultus fac pet te viviat inultus,
Nunc tua causa cui semper inulta fuit.

*Hic commensali suo & Amico
gratulari voluit*

GASPARUS THEODORUS von PAPE,
Werlensis LL. Stud.

UT nec apis vario sibi dulcia mella volatu
Ast homini mira sedulitate legit;
Sic & opes varias immenso è corpore legum
Colligis ast tantum non tibi sed patrī
Commoda magna feret Respublica, proximus īdo,
Hinc quoq; provenient gloria lausq; tibi.

*Hic paucis Domino Respondenti
gratulabundus applaudere
voluit debuit*

JOANNES ANTH. LENNICH,
Ph. Stud.

F I N I S.